



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De nonnullis affectionibus ad Daemones pertinentibus. Cap. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

lo positi sunt: Qui tamen ita, ex Platonis sententia, sub cœlo sunt collocati; vt semper caput, hoc est, mentis aciem, supra cœlū habeant eleuatum; & intimiūs cum prima mente nectantur, quā homines.

De nonnullis affectionibus ad Dæmones pertinentibus.

CAP. VI.

Dæmones humano generi affines, cū hominibus libentissimè versantur, vel cum humanis animis ostreaceo vehiculo solatis; mouēt, ducuntque homines; & hoc præsertim faciunt Dæmones inferiores: nisi eueniat scælici aliqua sorte ob puritatem animæ alicuius, vt ei iungatur, & cum eo versetur Dæmon quidam supernus; quod Socrati, Plotino, & Platoni contigisse, multi affirmāt: adeò, quòd legitur in vita Plotini à Porphyrio scripta, Plotinum pro Dæmone Deum habuisse; nomine tamen Dei cœleo tunc denotari Dæmonem aliquem superni ordinis, Diis proximū, non propriè Deum. Et quemadmodum vitæ hominum sunt varix, ita à variis Dæmonum conditionibus ducuntur Platonici. Sic dantur Dæmones Saturnij, ad vitam contemplatiuam ducētes Saturnias animas; Iouiales, ad ciuilem; & ita de cæteris. Sed varix sese nobis offerunt difficultates, attinentes ad naturam, & conditiones Dæmonū. *Quæritur, an Dæmones sint mor-*

tales. Inquiunt nonnulli, igneos, & aereos immortales quidem esse; aqueos verò longævus, sed morti obnoxios: Propterea dixit Martianus Capella Pausaniam sectatus, Satyros proVectioris ætatis, nuncupari Silenos: Plutarchus in lib. de defectu oraculorum ait, Dæmones certis temporum curriculis interire, & vivere per nonies mille septingentos viginti annos: Sic Pana magnum Dæmonem aiunt esse mortuum. Quam sententiam approbandam non censeo: quoniam si ad animam respicimus, omnes sunt immortales: si respicimus ad corpus: quoniam id elementare est, sub cælo positum, contrarioque præditum: non apparet, cur vnum mortale, alterum sit æternum. Prætereà, in elementari corpore non rectè iuentus, & senium consideratur. Inquiunt alij, Dæmones omnes esse immortales; ideo definientes Dæmonem aiunt, esse animal immortale: Addūt, quòd cùm corpus sit solubile, attamen Dei voluntate seruetur æternum; vt de mundo dixit Plato. Quam sententiam etiam dubiã censeo: Primò; quoniam Plato solùm de mundo dixit, sua voluntate seruari æternum, & de nullo alio: prætereà, vbi reperitur multitudo indiuiduorum sub specie, vel facile est corpus refici, vt euenit Dæmonibus; nõ est necesse, vt Dei volũtate compositum seruetur æternum. Propterea dicendũ censeo, Dæmones omnes, ratione animæ, esse immortales: ratione corporis, partim mortales, partim immortales.

mor.

mortales, quoad partes, quæ interire, & refici
possunt; immortales, quoad totum corpus; vt
etiam de Elementis se habet: adeo quod cor-
pus Dæmonum variationi, & perpersioni esse
obnoxium censeo: at assero id ei conuenire,
non simul, sed cum partium successione, & re-
stitutione: seruatur enim summopere ab e-
ius anima, quæ corpori illi maximè domina-
tur, conferente ad id etiam puritate corporis
eorum; corpus enim, quod purius, eò diutur-
nius est. Propterea rectè Porphyrius dixit,
Dæmonum spiritum, quia corporeus est, affe-
ctionibus, & interitui esse obnoxium. Sed quæ-
ritur insuper, num Dæmones animi perturba-
tionibus subiiciantur. Proculdubio, cum sint
sub Diis collocati, affectu quodam ad corpo-
ra sint procliuēs, cum elementari corpore sint
iuncti; etiā animi perturbationibus sunt mo-
do aliquo obnoxij: ita tamen, vt in supremis
Dæmonibus, cum mira tranquillitate; in me-
diis, cum moderatione; in postremis, cum ali-
quo excessu, perturbationum genus inuenia-
tur. Ideo Plato in Epinomide dixit, Dæmones
prope nos existētes nunquam manifestè con-
spici; prudentiæ mirabilis esse participes; acu-
to insuper ingenio, tenaciq̄ue memoria, cogi-
tationes omnes nostras cognoscere; honestos,
bonosq̄ue homines mirificè diligere; impro-
bos vehemēter odio prosequi, vtpote, qui do-
loris participes sunt. Sic itaque manifestè Pla-
to asserit perturbationibus subiici; quarum

fontes sunt voluptas, & dolor. Sed cum perturbationibus afficiantur, dubium est: An amores, inimicitiae, æmulationes, pugnae, locum habeant in eis? Si loquimur de naturali quadam eorum inter se mutua dilectione, propria voluntate confirmata; profecto hæc eis conuenit, cum similia omnia naturali quodam instinctu mutuò se diligant: Si loquimur de amore uenero, de propriè sumpta contrarietate, & lite; hæc cum absint ab homine rectè disposito, longè magis aberunt à gradu supra hominem à Platone collocato. Affero tamen, hæc eis conuenire similitudine quadam; quatenus diuersi gradus Dæmonum, ad diuersas vitas ducunt, distinctoque generi vitæ præsent. Quapropter, quæ à nonnullis dicuntur de incubis, & succubis; longè abesse censeo à sententia Platonis. At maior oritur dubitatio, & est: num Dæmones per suorum corporum alterationes, per passionem sentiant, & lædantur. Proculdubio; cum non pendeant à corpore, & solum corpore, ut vehiculo utantur; non ægrotant, nec patiuntur, ut homines: In hoc sensu, veram ad aures Platonis censeo sententiam Iamblici in libro de mysteriis Ægyptiorum, Dæmones esse à passionibus immunes. Quod verò dictum fuit à Psello, Dæmones igne torqueri posse; non Platonicum censeo, sed ex Theologorum fontibus hauistum. Affero tamen, Dæmones, non per sensum tactus, ut homines; sed per affectum, quo in corpus suum sunt procliuēs, ex
 opinio.

opinionem Platonis, dolore modo quodam posse affici, ex læsione sui corporis; ut euenit hominibus, ex læsione rei ab eis dilectæ. Cognoscuntne se mutuò Dæmones? alloquuntur? respondent? Ita profectò. Nam si iumenta, & homines, se cognoscunt: longè magis se cognoscent Dæmones, quibus exactior conuenit cognitionis gradus. Nam, ut ait Plato in Epinomide, Dæmones prudentiæ mirabilis sunt participes, acuto ingenio, tenaciq̃ue memoria, cogitationes omnes cognoscunt, &c. Cognoscunt itaque se mutuò Dæmones, & cum cognoscant, sibi mutuò proprias animi affectiones manifestant; quod humanis interrogationibus, responsionibusq̃ue proportione respondet: non enim id efficiunt cum vocis strepitu, sed sine eo; carent namque instrumentis vocis, nec eis egent: quoniam sonus ob distantiam requiritur, & ob notionum animi latentiam: at animi puriores, crasso corpore soluti, vel non distant; vel notiones habent adeò sibi cõspicuas, ut sine strepitu, mutuò sibi eas manifestent. Et nedum sine strepitu loquuntur inter se, verùm etiam cum hominibus, dum ad varias eos hortatur actiones, cum hominibus tamen id longè secùs efficiunt: nam dicuntur loqui hominibus: quatenus iuncti cum animis eorum, excitant in ea rationes congenitas, animæque insertas, vel imagines afferunt virtuti imaginandi, per quas, vel eos hortantur, vel dehortantur. Sic Socrates sæpè vocem sui Dæ-

monis audiebat eum dehortantem; quam tamen alij adstantes non audiebant. Valent etiam Dæmones cum strepitu loqui; dum hominibus insinuantur, eorumque vtuntur instrumentis.

Munera Dæmonum.

CAP. VII.



Il in vniuerso superuacaneum, nil inutile, nil otio penitus torpens inuenitur; sed quò res eminentioris sunt conditionis, eò eminentiores præbent vsus, & salubriores pariunt fructus. Dæmones, qui sub orbe Lunæ obtinent principatum; nedum proprium in vniuerso gradû complent, pro mundi perfectione: verum insuper conducunt ad citò, rectè, exactè implenda mandata Dei; ad regionum, vrbium, hominumque custodiam. Nonnulli enim vniuersæ regioni, alij vrbibus, quidam singulis hominibus præfunt. Hi sunt, quorum ministerio animæ in corpora descendunt; quorum consilio in vita diriguntur: quorum reuelatione varia cognoscunt; quorum opera pœnas luunt, & purgantur; demum, quorum auxilio ad superna eleuantur: adeò, vt non iniuria humana felicitas Eudæmonia nuncupata sit; quia bono Dæmone duce eam consequimur. De his dixit Plato in Epinomide, in somniis, in vaticiniis percipi; per voces audiri, in sanitate, in ægritudine, in vitæ exitu conspici; & propterea multa sacra eis fuisse instituta. Historiæ nobis pate-

pate-